

concupiscitis: id autem dare meum non est. Ab inani ergo Zebedai filios gloria, improbaque ambitione deterreret. Quid est, quod Christus, in cuius manibus sunt omnia posita, ait, non est meum dare vobis? Vobis nempe, qui arrogantia, ambitione, ac inani gloria laboratis; vana enim gloria veram, ac aeternam gloriam impedit, nemo enim potest peruenire ad gloriam, nisi verè humilis fiat, vanamque mundi gloriam abiiciat.

109. **Cyrrill.** Quartò. Idem D. Cyrrill. proximè citat. cap. 5. Potestatem non negat Dominus, ait, sed dispensationem ostendit; quomodo ipse non potest dare, quibus velit, cum inueniatur omnibus discipulis id esse largitus? Amen dico vobis, sedebitis & vos. Expende illud, Dispensationem ostendit. Antea Matthæi 19. promisit Dominus suis Apostolis duodecim sedes, nunc verò eas videtur denegare Iacobo, & Ioanni, dicens: Non est meum dare vobis. Sanè, non erat illius cœlestia dona communicare, nisi omnibus, hæc enim est Dei consuetudo, hic vsus cœlestium honorum, nulli in particulari, sed communiter omni populo offerri, & dari. Vide in Indice verbum Communicare.

110. **Cyrrill.** Quintò. Idem D. Cyrrill. lib. 16. Thefaut. cap. 5. Iustus sum, ait, munerum declarator in certaminibus positus, ac ideo non petentibus simpliciter largiri debeo, nec per iniuriam certantium omnium ad duos solum honores traducere. Cum Christus sit iustus munerum declarator, ac distributor, ait his duobus fratribus, non est meum dare vobis. Qui soli, & separati esse vultis in donis; nec honores, qui sunt destinati ad omnes debeo ad duos restringere, ac coarctare, hoc enim si fiat, in magnam certantibus cedet iniuriam.

111. **Hieron.** Sextò. D. Hieron. in præsentì: Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis. Sed ideo sedentium in regno Cœlorum vocabula non dicuntur, ne paucis nominatis, ceteri putarentur exclusi. Bene sciebat Christus, quod Ioanni, ac Iacobo, utpote prædestinatis primæ sedes erant destinatae à Deo Patre, tamen ait eis: Non est meum dare vobis. Nam si his duobus illas primas sedes concederet, ceteri viderentur exclusi, & inde auditas ad primatum primæ sedis capiendæ torperet, ipsa enim quædam æmulatio cum iactura meritorum cessaret. Septimò. Glossa: Non est meum dare vobis, ait, quia Cœlorum regnum non est dantis, sed accipientis, voluit dicere, non sufficit dantis gratia, nisi accesserit collaborantis industria, & meritum. Vide supra cap. 13. n. 19. cap. 18. n. 144. cap. 20. n. 22. & 23.

112. **Ambros.** Octauò. D. Ambros. lib. 3. de fide cap. 3. Noluit his, quos diligeret, videri quod peterent denegare Sanctus, & bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quam de charitate deponere. Ait Dominus: Non est meum dare vobis, potestatem in se denegat, facultatem tamen ad Patrem refert; Sed quibus paratum est à Patre meo. Quid dicis Domine? Bene, & aperte vides, quod ex hoc impius Arius occasione defumet, ut tuæ potestatis iura diminuat, & te minorem esse Patri blasphemio ore dicat? Clarissimè hæc omnia inutebatur Christus Dominus, tamen magis vult consulere vilitati, ac bono communi suæ Ecclesiæ, ne alij torpescerent, ut dictum est ex D. Hieron. Ad Ambrosium veniamus; Satius duxit Dominus aliquid apparenter suæ potestati subtrahere, quam suæ voluntati, ac suo amori quicquam derogare, ideo non dixit, nolo dare, sed ait: Non

est meum dare. Qui mallet aliquid dissimulare de iure, quam de charitate deponere.

Postquam Iacob furatus est benedictionem à Parente suo Isaac venit primogenitus Esau, ut benedictionem obtineret; cui patens Isaac aperuit, quomodo venisset germanus suus fraudulenter, & benedictionem abstulisset, & addidit Isaac: Et tibi, post hæc, fili mi ultra quid faciam? Gen. 27. num. 37. Tunc Esau magno eiulatu, multisque profusis lachrymis deflet. Subdit textus: Motus Isaac, dixit ad eum: in pinguedine terra, & in rore cœli erit benedictio tua, ibidem 39. Nonne modo dixit Isaac se iam non habere benedictionem ad concedendum: Et post hæc ultra quid faciam? Ut communiter explicant interpretes. Quomodo modò largitur benedictionem? Potestas planè defecerat, inde se fatetur benedictionem non habere: Post hæc ultra quid faciam? At verò amor, quo filij lachrymas Patris non sustinuit, aliquid negare non permittit, sed supra id, quod potest, impendit, cumque eiulatu magno fletet motus Isaac, &c. Lyran. Abulens. explicant, Motus pietate paterna. Quod potestas inficiabatur, amor abundanter impendit. Vide supra c. 22. n. 93. & cap. 24. n. 5. & n. 27. 28.

QUESTIO XVI.

Quare Christus Dominus qui faciliter alijs multa dona concesserat, his tamen duobus fratribus petita denegat?

MULTI petierunt à Christo Domino multa beneficia, oculos, manus, & pedes, & nulli eorum, dixit Dominus: Non est meum dare vobis, ut dictum legimus his duobus fratribus, sed statim sine vlla mora dona petita concessit, ut Leproso dicenti, Domine si vis, potes me mundare. Statim respondit Dominus: Volo mundare, Matthæi 8. num. 3. Et Paralytico sanitatem offert Iesus, dicens: Vis sanus esse? Ioan. 5. 6. Cur ergo his suis discipulis postulata denegat?

Respondet primò D. Basilius Seleucus orat. 24. Si Leprosus, ait, curationem petit, virtutem execro, volo mundare, si cacus luminis orbis gemit: secundum fidem vestram fiat vobis. Quod si Thronum verò quis petat, & regiam potestatem querat, & sedere ad dexteram assidet, tunc quid posset, curiose despicio: solum pro pietate sudorem testibus posco. Si verò reperero, quod is condignum sit, tunc est meum dare: vocat enim dantis potestatem, accipientis merita. Et si alia dona temporalia manus, vel pedis, seu corporis sanitatis dentur merè liberaliter, non sic sedes in regno cœlorum conceduntur, sed ad illas necessaria est multa probatio, ac exhibitio operum, quibus ad illas fit ascensus, nec vnquam cuiquam dantur, nisi prius legitime certauerit.

Secundò. D. Cæsareus Nazianz. frater Dial. 3. Non est, ait, meum dare vobis, per illos reliquos castigans, & accensum in ipsis absurdum amorem primatus extinguens terrore denegationis. Negat Dominus postulata his discipulis, tanquam magnum supplicium illis intelligens. Vix enim ingenio nulla acerbior castigatio, quam repulsa in re desiderata, ac petita.

In vltima vitæ hora pendens meus Iesus in cruce, Dixit, Sitio, Ioan. 19. num. 28. Quæ verba aliqui

113.

Gen. 27.

Potestas deficiens negat, amor impendit.

Lyran. Abulens.

114. Ratio difficultatis.

Matth. 8.

Ioan. 5.

115. Basil. Sel.

Temporalia gratis dantur, cœlestia per merita.

116. Cæsar.

117. Ioan. 19.

EXPOSITIO V.



AUDIENDES decem. Abulens. existimat, quod aliquis audiuerit petitionem matris, eamque ceteris Apostolis narrauerit; sed valde verisimile est, quod mater secreto postulauerit, ne filijs verecundiam, & ceteris inuidiam concitaret. Maldonat. Lucas Burg. Genf. aiunt, quod Mater priuatim cum filijs locuta fuerit Christo, sed Dominus ita respondit, ut ceteri audiissent, quod diceret, & ex ipso responso petitionem intellexerunt. Dico tamen, quod ceteri Apostoli ex adoratione, gestu, ac modo loquendi matris cum filijs petitionem cognouerunt, & intellexerunt: præcipuè cum ipsi eadem cupiditate affecti essent, facile cupiditatem duorum fratrum sunt odorati, & ægrè tulerunt, quod primas postulassent sedes; nondum enim sancti Spiritus igne corda eorum mundata, ac purificata erant, ut notantur D. Chryostom. Euthym. & alij.

Iesus autem vocauit eos ad se. Docens quod eorum tacitas cogitationes cognouisset, ac audiuisset: Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum. Non prohibet Dominus his verbis ciuilem præfecturam, ac Ecclesiasticam potestatem in republica, sed prohibet talem dominationem, qualis erat inter Gentiles, qui potestate sua abutebantur, exercentes suam dominationem in subditos valde imperiose, ac magnifice, non vt subditorum commodo, sed vt suo honori, ac vilitati confulerent, ut notantur Estius, & Tirinus; Et qui maiores sunt. Inter eos reges, nempe, ac imperatores, est repetitio præcedentium, & explicatio scripturæ vltata, vt aduertunt Saa, & Monochius. Ac si dicat Christus, vestra hæc ambitio, qua tali modo quisque primatum affectat, Gentilium ambitio est, quæ procul à vobis debet abesse.

119. Abulens.

Maldonat. Luc. Burg.

Chryost. Euthym.

120.

Estius. Tirinus.

Saa. Monoch.

QUESTIO XVII.

Quare indignantur decem, non in matrem, sed in hos duos fratres?

RECTE notat D. Chryostom. homil. 66. expendens illud: Tunc indignati sunt. Sic ait: Tunc istud quando significat, quando scilicet illos duos corripuit. Ita donec Christi sententia præferri eos videbant, non indignabantur. Sed reuerentia Magistrum, etiam si secum mouerentur, atque dolerent, amabant, ac honorabant, nec indignationem suam palam facere audebant. Tanto cultu decem discipuli suum Magistrum venerabantur, vt non dicantur indignati aduersus hos duos fratres petitores, nisi postquam agnouerunt, quod illi notati erant de ambitu à suo Magistro: Nescitis quid petatis. Tanta reuerentia cum discipuli colebant, vt quidquid Magister iuberet, & si his fratribus primatum darent, magna obedientia, ac silentio honorarent. Reuerentia Magistrum, & si secum mouerentur, atque dolerent, amabant, ac honorabant.

Secundò. Postquam Christus Dominus reprehendit hos duos fratres. Tunc ceteri discipuli indignati referuntur, & cur non antea? Antequam

121.

Chryost. Boni discipuli conformem voluntatem Christi.

122. In delectatione omnes in sum.

aliqui Patres, & Doctores explicant, quod amoris vi sariabat maiora tormenta pro salute humani generis. Nunquid possunt grauiores cruciatus inueniri, quam illis quos noster Redemptor in sua Passione sustinuit? De illis ait D. Thomas 3. p. quæst. 46. art. 6. In Christo fuisse dolorem corporis, & animi, & addidit: Vergeret dolor fuit maximus inter dolores presentis vite. Quæ ergo maiora tormenta, quam repulsam quandam sustinere? Vehementer Christo sienti, & aquam postulant ipsa denegatur, hæc ergo repulsa, valde acerba, & dura inter sacratissimæ passionis tormenta.

Postquam Philippus baptizauit Eunuchum illum, rapuit eum spiritus, Et inuentus est in Azoto, Actor. 8. num. 40. Cur tam subito disparuit, & non concessum est, vt recenti Christiano Magister suus valè diceret? D. Chryost. homil. 19. Vtiliter, ait, rapuit illum spiritus, aliòquin rogasset illum Eunuchus, vt simul cum illo proficisceretur, quem ille, cum nondum tempus esset, renuens, ac negans contristasset. Nam si Eunuchus vidisset Apostolum abeuntem rogaret eum, vt ab illo non discederet, quod cum Apostolus raptus ab impulsu spiritus non concederet, Eunuchus repulsam sustinens magno dolore afficeretur, ne ergo illo vexaretur, rapitur Apostolus in salutato Eunuchus. Vide supra cap. 29.

Matth. 10. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

Num. 26. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis, quia principes Gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos.

VERSIONES.

Vatabl. n. 25. Cum audissent decem. Imperfect. Contristati sunt de duobus fratribus.

Arabicus. Murmurauerunt contra duos fratres.

Græcus. Molestè tulerunt, grauitè offensi sunt.

Syriacus. Indignati sunt aduersus duos fratres.

Syriac. n. 26. Scitis Principes Gentium dominos earum esse: ac magnates earum potestatem exercere in eas.

Pagn. Vatabl. Scitis Principes Gentium dominari ipsis: & eos, qui magni sunt potestatem exercere in ipsas.

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. Ferè idem cum Matth. n. 41. & 42. thæo.

D. Thom.

Repulsa in petitione graue tormentum.

118. A. 8.

Chryost.

Repulsa maxime contristat animum.

hi duo fratres à Diuino Magistro essent reprehensi, ab ira, ac indignatione cateri se cohibuerunt, at verò cum illos increpatos viderunt, statim indignatione contra eos insurgunt, valde frequens hæc est hominum consuetudo, vt in eos infremant, quos repulsa, ac increpatione deiectos vident. Vide supra cap. 33. n. 170. & 180.

Tertio. Omnes discipuli mutuum primatum ambiebant, vt Matth. 18. num. 1. Luc. 22. num. 24. Ac proinde ex quacumque coniectura suspicabantur, alicquem esse eis præponendum, & inde indignabantur. Ideo post solutionem didrachmatis statim contenderunt, quis eorum videretur esse maior, citato cap. 18. Matth. 1. Valde dura res inter pares velle principatum. Ideo Iacobus filium suum Ioseph reprehendit, ex eo quòd Puer suum principatum fratribus insinuasset. Philo lib. de Ioseph: *Increpauit eum Pater suus; timens ne quid ille peccaret? Nam expectare principatum inter domesticos, res abominanda est, me iudice.*

Quarto. Caietan. *Vt carnales adhuc, scilicet discipuli, ait, non sunt compassi ignoranter petentibus: sed indignati sunt agere ferentes, quod illi duo voluerint omnibus præferri.* In hac expostulatione Iacobi, & Ioannis manifestantur duo, eorum ignorantia absque malitia; deinde eorum affectus, quo primas sedes ambiunt, vt aliis præcellant, non tamen dolent decem de ignorantia duorum, sed de secundo, quod voluerint omnibus præferri. Primus, scilicet ignorantia, defectus fratrum erat; secundus, alios respiciebat, quod illi duo eis præfessent; Ideo ergo decem dolent de hoc secundo, quod ad eos attinebat, illisque minus deens videbatur; non verò de alieno crimine, quo alij maculabantur. Inde subdit Caietanus: *Non insurgunt contra mulierem, qua petis, sed contra filios ambientes primas sedes, quia non agere ferunt peccatum, aut ignorantiam, sed postponi.* In matre erat ignorantia, in filiis affectus aliis postponendi, & discipuli minus alienum scelus, quam proprium dedecus sentiebant, & ideo non in matrem, sed in discipulos indignantur, quia illi eis primiores esse volebant; non de culpa, sed de primatu obtinendo dolent.

Cum seroboam thus adoleret super altare, venit Propheta de Iuda, qui clamauit contra altare, quod scissum est, prædixitque Sacerdotes excellentiorum super illud esse occidendos, eorumque ossa concremanda. Tunc rex diuinis monitionibus non paruit, sed intrepidus manus in Prophetam iniicere tentauit, quæ paralyti correpta exaruit, statimque rex à sua superbia detumit, & ad humiles preces conuolauit. *Deprecare, ait, faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi,* 3. Reg. 13. num. 6. Cur non pro altari corruente, cur non pro Sacerdotibus, in quibus erant multi eius amici, consanguinei, & fortè etiam filij, quos concremandos audiebat, deprecatur, vel etiam pro suo sacrilegio? Nihil de his agit, sed tantum externam manus ariditatem dolet, pro illiusque salute rogat. Theodoret. quæst. 42. *Id, ait, quod accidit altari, eum non suspexit: sed id, quod manus, valde anxius: cum autem esset valde stultus, supplex rogauit Prophetam, ut sibi peteret, non sceleris remissionem, sed manus curacionem.* Non de malo culpæ, sed pænæ dolebat.

125. Cum seroboam thus adoleret super altare, venit Propheta de Iuda, qui clamauit contra altare, quod scissum est, prædixitque Sacerdotes excellentiorum super illud esse occidendos, eorumque ossa concremanda. Tunc rex diuinis monitionibus non paruit, sed intrepidus manus in Prophetam iniicere tentauit, quæ paralyti correpta exaruit, statimque rex à sua superbia detumit, & ad humiles preces conuolauit. *Deprecare, ait, faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi,* 3. Reg. 13. num. 6. Cur non pro altari corruente, cur non pro Sacerdotibus, in quibus erant multi eius amici, consanguinei, & fortè etiam filij, quos concremandos audiebat, deprecatur, vel etiam pro suo sacrilegio? Nihil de his agit, sed tantum externam manus ariditatem dolet, pro illiusque salute rogat. Theodoret. quæst. 42. *Id, ait, quod accidit altari, eum non suspexit: sed id, quod manus, valde anxius: cum autem esset valde stultus, supplex rogauit Prophetam, ut sibi peteret, non sceleris remissionem, sed manus curacionem.* Non de malo culpæ, sed pænæ dolebat.

Matth. 20. Non ita erit inter vos, sed num. 26. quicumque voluerit in-

ter vos maior fieri, erit vester Minister.

Num. 27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

Num. 28. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

VERSIONES.

Vatabl. n. 26. Non ita res habebit inter vos

D. Chrysof. Qui vult esse Dominus, sit seruus.

D. Hieron. Sed quisquis voluerit inter vos magnus fieri

Syriac. Inter vos maximus fieri.

Arabicus. Sit vobis minister, & seruus.

D. Greg. Nyss. Qui voluerit inter vos primus, & magnus esse, omnium erit postremus, & omnium seruus.

Theoph. n. 28. Sicut filius hominis non venit, vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret.

Græcus. Pretium redemptionis pro multis.

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. Cohæret cum Matthæo.

EXPOSITIO VI.

NON ita erit inter vos. Vt inter Gentes primatum ambientes: Sed quicumque voluerit, vt vos vultis, inter vos, in hac vita nempe, maior fieri, seu vt alij legunt, magnus fieri, vt sit Prælatus, Princeps, & Episcopus, erit Minister vester, seu seruus, vt legit Arabicus. hoc est, oportet, vt se exhibeat ministrum, ac seruum vestrum, incumbereque debet potius salutis animæ vestræ, quam proprio honori, ac commodo. Præclare aduertit hic D. Hieronym. *Humilis, ait, Magister, & mitis, nec cupiditatis immodica duos arguit postulantes, nec decem reliquos indignationis increpat, & linoris; sed tale ponit exemplum, quo doceat eum maiorem esse, qui minor fuerit, qui omnium seruus sit.* Et meritò sanè liberalia ingenia citius emendantur, cum de bono faciendo edocentur, quam cum de malo iam facto arguantur.

Et quicumque voluerit inter vos, repetitio est, vt res altius, ac firmiter menti imprimatur, & vt quanto quis maiori imminet dignitate, tanto magis se cognoscat, arctiori seruituti subiaccere. *Primus esse, princeps, seu maior aliis esse, erit vester seruus.* Hic aliquid maius exprimitur, quam superius. Plus est seruum esse, quam ministrum. Nam minister liber potest esse; seruus verò totus domini seruituti addictus est; ac proinde, qui Prælatus,

Chrysol.;

128. Chrysof. Paschal. Alb. Magn.

Prælatus, ac Episcopus est, totus addictus est bono, ac seruituti ouium. De hac seruitute ait D. Chrysol. serm. 114. *Beata hæc seruitus, quæ dominationem generat sempiternam.*

Sicut filius hominis. Ego scilicet, ait, quem vos profitemini verum Filium Dei, ac regem totius vniuersi; & se ipsum proponit in exemplum, quo cuncti pastores, ac Episcopi informantur, ac instruantur, vt inquit Chrysof. Paschal. Albert. Magn. quia non est discipulus super Magistrum. Modestiz, ac humilitatis gratia de se ipso per tertiam personam loquitur. *Non venit in hunc mundum homo factus, ministrari, ad hoc quod seruus haberet, qui ei famularentur, corporalibus, & humanis obsequiis ad instar secularium dominorum. Sed ministrare, hominibus, ac eorum salutis, & vtilitati inseruire, frequenterque etiam ipse corporali labore discipulis ministravit: Ego in medio vestri sum, sicut minister vester.* Et dare animam suam, id est, vitam suam redemptionem pro multis; pro redimendis hominibus. Græcus habet: *Pretium redemptionis.* Fuit enim Christi mors infinitum pretium nostræ redemptionis: *Pro multis.* Euthym. Theophylact. Albert. Magn. D. Thomas interpretantur pro omnibus hominibus, quia hi non pauci fuerunt, sed multi. Sic dicitur Isai. 53. num. 12. *Ipsæ peccata multorum tulit.* Rom. 5. num. 19. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituntur multi.* Vel potest hæc dictio interpretari de fructu passionis: Nam Christus mortuus est efficaciter pro multis, scilicet prædestinatis, ac electis, sufficienter verò pro omnibus. Ita D. Hieronym. Caietan. Iansen. Maldonat. Barrad. Cornel. & alij.

Græcus.

Euthym. Theophyl. Alb. Magn. D. Thom. Isai 53. Rom. 5.

Hieron. Caietan. Iansen. Maldon.

secus viam, audierunt, quia Iesus transiret.

Marc. 10. num. 46. Et veniunt Iericho, & proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius, & plurima multitudo, filius Timæi Bartimæus, cæcus sedebat iuxta viam mendicans.

EXPOSITIO I.



EACTVM est autem. Post petitionem filiorum Zebedæi, quæ prætermittit D. Lucas, & narrat D. Matth. & Marc. Ex ciuitate ergo Ephrem sita iuxta Iordanem, per ciuitatem Iericho tendebat Iesus Ierosolymam, ad crucem; Cum ergo appropinquaret Iericho, quæ lunæ defectus interpretatur: *Cæcus quidam,* cuius nomen exprimit D. Marcus, Bartimæus: *Cæcus quidam.* Vnus, & singularis, quia cam figuram peccatoris gereret, tamen agnouit ad Iesum clamare pro sua salute, quod singulare est: *Clamabat.* Hugo, terrenis amore inhiens. Et verè cæcus, qui in rebus humanis requiem, ac quietem optabat: *secus viam.* Beda, cæcus sedet secus viam, dum incipit credere in ipsam, qui dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ioan. 14. Mendicans elemosynam petens. *Mendicans.* Hugo. Pauperes dicuntur mendicantes, quasi manu dicentes; potius petebat manu, ac necessitate, quam voce, ac clamore.

Cum audiret turbam prætereuntem. Quæ Christum sequebatur, ex qua quidam ibant, vt discipuli, vt docerentur; quidam vt mercenarij, vt sanarentur; quidam vt curiosi, vt noua miracula viderent; quidam vt maleuoli, vt obseruarent. *Interrogat quid hoc esset;* vt bonus discipulus scire cupiens.

QUESTIO I.

Vtrum eadem sit historia enarrata in tribus Euangelistis?

IVVS Matthæus duos commemorat cæcos, D. Marcus, & D. Lucas vnum. Deinde D. Matthæus ait, quod egredientibus illis de Iericho miraculum fuerit factum. D. verò Lucas, quod Dominus cum appropinquaret Iericho. Inde diuersas esse historias dicunt. D. August. lib. 2. de consensu Euang. cap. 65. Iansen. Barradas, & alij.

Quia tamen coniecturæ in vtraque historia sunt valde similes, ideo suadent vnam, & eandem esse historiam. Omnes Auctores hic accidisse dicunt in vltima profectioe in Ierusalem. Cæcus, aut cæci constituuntur secus viam in Iericho. Omnes clamant eisdem verbis: *Iesu fili David, miserere mei.* Omnes Euangelistæ narrant, cæcos impeditos fuisse à turba, ne clamassent, ab omnibusque Christus quærit: *Quid vultis, vt faciam vobis?* In diuersis autem historiis, quod tot circumstantiæ adeo similes acciderint, valde difficile est. Ideo eandem esse historiam docent D. Ambr. Luc.

CAP. XXXVIII.

Cæcus apud Iericho.

Luc. 18. n. 35. Factum est autem cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.

Num. 36. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

VERSIONES.

Vatablus. Euenit autem cum appropinquaret.

Arabicus. Cæcus quidam erat sedens extra viam.

Pagninus. Iuxta viam.

Syriac. n. 37. Sciscitatus est quisnam hic esset.

ALTER TEXTVS.

Matth. 20. Et egredientibus illis ab num. 29. Iericho, secuta est eum turba multa.

Num. 30. Et ecce duo cæci sedentes